

1, 14), sed cui, fortasse quod re Graeca etiamtum erat magis quam Latina, pariter atque civitatibus foederatis Graecorum naves magis quam milites ex foedere imperarentur (Liv. 26, 39). Nummi quoque eius coloniae antiquiores cum inscriptionem, ut par est, Latnam habeant *Paistano*, praeterea Graecos harum partium plane imitantur, ut extent vel stateres cum eadem inscriptione argentei. Sed horum cudendorum ius mox coloniam amisisse cum summa eorum staterum raritas indicat tum alia argumenta confirmant (v. *Geschichte des röm. Münzwesens* p. 326 seq.). Deinde quamquam Paesti nomen passim legitur et apud alios scriptores et apud poetas, quippe qui Vergilium secuti (georg. 4, 119) *biferi rosaria Paesti* uno concentu laudent, quod ad vices eius pertineat non afferunt, nisi quod Paestanos scribunt bello Hanniblico fidem Romanis servasse (Liv. 22, 36. 27, 10; Silius 8, 585), denique liber coloniarum p. 209 inter reliquas Lucaniae praefecturas Paestanam quoque recenset. At in locum auctorum succedunt quodammodo tam nummi, quorum aenei Paesti unico in Italia exemplo ad Tiberium usque duraverunt, quam inscriptiones. Bello sociali colonia haec Latina municipium facta sit et IIIviro creare coeperit necesse est; nam extant nummi licet perpauci cusi a quattuorviris Paestanis<sup>1)</sup>. Mox coloniam eo deductam esse inde efficitur, quod colonia diserte appellatur in titulis n. 476. 477. 478. 483. 484. 486, duovirique eius coloniae complures nominantur alii in nummis, alii in titulis. Et nummi quidem qui inscribuntur L·ARTVE (sic Garrucci recte) C·COMIN|II·VIR (Carelli n. 140 tab. 131, 30; Garrucci syll. p. 66 h) — L·MARCI·N·GAVI·II·VIR (v. ad n. 472) — L·SVEI·M·NVN·II·VIR (mus. Berol.) — Q·TRE·II·VIR (Carelli tab. 131, 28; Garrucci l. c. p. 68 u) nihil impedit, quominus cusi

sint temporibus liberae rei publicae extremis; contra qui inscripti sunt M·EGN|Q·OCT (vel ordine inverso) II·VIR similiterve (Carelli tab. 135, 99. 100. 104; Garrucci p. 69 ii. kk) — L·LICINIUS·II·VIR (Carelli tab. 135, 103; Garrucci p. 70 nn) — C·LOLLI·ITE·M·DOI·II·VIRI similiterve (Carelli tab. 135, 95. 96; Garrucci p. 70 oo. pp) — A·VERGILI·OPT·II·VIR (Carelli n. 224. 225. 226, tab. 135, 104. 108. 109; Garrucci p. 70 qq), cum et ipsi Paesti cusi sint, caput aut Augusti habent aut Tiberii. Etiam in titulis Paesti adhuc repertis cum nullum quattuorvirum habeamus, duumvirum autem plures n. 476. 477. 479. 480. 484, horum unus n. 480 Augusto aut anterior est aut certe aequalis<sup>1)</sup>. Itaque Paestum civium colonia deducta esse videtur ante Augustum, fortasse aetate Caesariana vel triumvirali. — Auctam eam esse a Vespasiano deductis eo a. p. C. 71 classiariis Misensibus ad remunerandam eorum a Vitellio defectionem nuper didicimus ex diplomate Pompeiano (eph. epigraph. vol. II p. 457: *et sunt deducti Paestum*); unde Flaviae coloniae nomen inditum est (vol. VI n. 2384 a 2: *T. Atilius T. f. Fla. Rufus Paesto*). — Praeterea quae de institutis rei publicae tradita habemus, quae quidem certa sint, haec fere sunt. *Quinquennalis* est in nummis (Carelli n. 133. 136 tab. 131, 25. 29), item *pontifex* et in nummis (Carelli n. 204 tab. 134, 80) et in titulo n. 479, *flamen Ti. Caesaris* in nummis (Carelli tab. 135, 94), *magister Mentis Bonae* in titulo n. 472, *magister Augustalium* et *Mercurialis* in titulo n. 485.

Ad auctores quod attinet, accedunt ad eos, qui de Lucania universa egerunt, duo viri PAOLI (Paesti rudera. Romae 1784. fol.) et Iosephus BAMONTE canonicus Capaccii (*le antichità Pestane* Neapoli 1819. 8. pp. 124).

1) Certae lectionis semisses sunt inscripti P·ASVI III·VIR (Friedlaender de visu; Carelli cat. n. 113; tab. 131 n. 26. 27; Fiorelli cat. n. 2698; Garrucci syll. p. 66 i) et M·OCT III·VIR (Carelli cat. n. 129. 130; tab. 131 n. 20. 21; Stuart Poole *Greek coins of the British mus., Italy* p. 279 n. 48. 49; Garrucci l. c. p. 68 x); hanc enim lectionem deprehendit in eiusmodi nummo optime servato Friedlaender noster, cum alii aliter legissent ipseque adeo invenissem in musei nostri sextantibus similibus (cum capite Mercurii et caduceo) M·OCT III·VIR. Ceterum tam qui IIIviro quam qui IIviro inscriptos habent nummi, eiusdem fere aetatis speciem prae se ferunt.

1) Coloniam Neptuniam a. u. c. 631 teste Velleio 1, 14 Tarentum deductam esse alibi demonstravi (vol. IX p. 24); ad Paestum autem qui eam referunt propter eam solam causam, quod antiquitus Posidonia ea fuit, non solum temere iudicant, sed etiam perverse. Nam ut mittam ita IIIviris nummorum nullum locum relinqui, cum secundum haec Paestum nullo tempore municipium Romanum fuerit, sed ex colonia latina in coloniam civium Romanorum abierit, plane sine exemplo est coloniam iuris Latini, quae non rebellasset, aetate liberae rei publicae in civium coloniam mutatam esse. At si rebellasset ad exemplum Fregellarum, eius rebellionis memoria non interisset.

472 [= 90] Paesti ad ecclesiam nuper reperta ANT. 1745.

C · PETRONIVS · OPTATVS ·  
MAG · MEN · BON ·  
STATVAM · BASIM · PLVTEM  
SACR

Io. Antonius Sergius misit Gorio cod. Marucell. A. 77. Antonini *la Lucania* p. 250 ed. 1; correxit Magnoni p. 250 itaque repetiverunt Antoninii ed. 2 I p. 243 et Marini *atti* p. 256. Paoli Paesti rud. p. 169. Bamonte p. 94. Orell. 1818.

Litterae quae apud Bamontium desunt, inclinatis dedi. — 1 OPTATV... Serg. — 2 MEN·BOM Serg. Ant. ed. 1., MEN·BON Paoli. — 8 PLVTEV Ant. ed. 1, PLVTEV... Serg.

Conferendi nummi Paestani (Carelli n. 114 tab. 131 n. 32—34; Garrucci syll. p. 68 y al.), in quibus ab una parte cernitur mulier sedens in aede adscripto nomine BONA|MENS, ab altera est PÆ et nota S et nomina L·MARCI·N·GAVI·II·VIR.

473 [= 41\*] nell' antica Pesto in una gran lapide caduta da un grand' edificio di colonne si legge a grandi caratteri PROC. COM. Focolare di marmo bianco in una casuccia vicino la chiesa cattedrale ANT.

f a u s t i n a e a u g  
i m p · a n t o n i n i a u g  
D I V I · P H I · J · O B · P L V R I M A · B E N E  
F I C I A · E I V S · E R G A · P A T R I A M  
5 D · D P · P  
P O P V L O · P O S T V L A N T E

Como apud Mur. ms. 18, 224, ed. 239, 1 eodemque exemplo Procaccelli ms. 1735 et Mazochi syll. ms.; Antonini p. 251 ed. 1, I, 243 ed. 2.

Hiatus nullos adnotant et versus continuant Proc. et Com.; v. 6 fieri potest, ut pro interpretatione litterarum praecedentium adiectus sit. Antoninus, ad quem versus divisi, sic dat: DIV·ILLI·OB·PLVRIMA·ET·A.....|ICIA·EIVS·ERGA·PATRIAM.....|DD·PP·|POPVLO·POSTVLANTE.